Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2519
Quelle:
Copyright:

pitur &c. Si Exordium demas, in quo ſui abjiciendi finem non facit, bonae frugis plena eſt oratio in illud: *Tranſeamus et videamus hoc uerbum quod factum eſt* &c. *Luc.* 2. Nihil de ea *Balbinus* in *Bob. docta*, et *Voigtius*, qui *Vol. I. Act. Liter.* p. 377. Acta Viri collegit. Habita eſt, ut ad calcem notatur, *anno* XLIIII. quo nempe *Przibramius* jam Eccleſiae Rom. reconciliatus fuit.

XIII. *fol.* 229. *De Interceſſione Sanctorum et invocatione eorum Scripture doctorum katholice hic ponuntur.* Initium tamen a ſ. Literis. *Sancti nobis ſuffragantur et nos iuuant, primo beneficiis* &c. Si fuit unquam tempus, quo PP. Scripta ſolerter excuterentur, certe fuit id hoc aevo in *Bohemia.* Id quod non ſine admiratione deprehendet, quisquis ſuperſtites utriusque Partis lucubrationes vel obiter inſpexerit.

XIV. *fol.* 233. *Articuli principaliores de paſſione chriſti* &c. Sunt numero XLVI. quorum cuivis ſubjunctum eſt *Documentum.* Primus eſt *Timor* in Monte Oliveti, alter *Sudor ſanguineus*, tertius *Vendicio* — ultimus *Sepultura.* Initium: *Dominus ibeſus diligenter eſt inſpiciendus a chriſtianis et efficaciter imitandus* &c. Ignoti ſed non inepti Autoris.

XV. *fol.* 245. Excerpta e Libro *de Similitudinibus Anſelmo* tributis, ſpuria Epiſtola *Clementis Rom. ad Jacobum Apoſt. Hieronymo, Auguſtino, Bernardo, Origene, Rob. Holcot, Joh. Chryſoſtomo, Beda, Hugone Victor.* de variis materiis tractatibus Academicis, ut videtur, deſtinata; alicubi enim in margine notatur: *Valebit pro ſcola*, vel *ſcolaſticis.*

XVI. *fol.* 248. p. 2. *Vtrum corpus chriſti in ſacramento ſit adorandum.* Initium: *Quod ſic. Quia corpus domini Jheſu chriſti ſaluatoris quod eſt templum deitatis* &c. Inter alia PP. loca jam utitur Textu illo *Ambroſii L. III. de Spir. S.* c. 11. edit. *Maur. Pariſ.* 1690. *col.* 681. Noſter: *Caro Chriſti quam hodieque in myſteriis adoramus*, quem tardius a *Bellarmino* et Card. *Perronio* adlatum alio divertere conati ſunt *Mornaeus* et *Edm. Albertinus.* Vide, quae ibi notant Mauriani Editores.

XVII. *fol.* 250. Locus e *Wicleffi* Libro *de Veritate ſ. Scripturae* circa proprietates Hominis, propter quas dicitur minor Mundus, cujus initium: *Notandum quod licet figuratiue loqui de homine et aliis creaturis pro loco et tempore ad inſtar Scripture* &c.

XVIII. *fol.* 251. *Prologus Ieronimi ſacerdotis in Paralipomenon declaratus.* Eſt Prologus ille ad *Chromatium*, qui incipit: *Si ſeptuaginta Interpretum pura* &c. Declaratio vero eſt F. *Guil. Britonis* O. M. prout in *Bibliis Gloſſat.* proſtat.

XIX. *fol.* 252. Epiſtolae binae *Joh. Huſſi* ſcriptae e carcere *Conſtantienſi.* Primae praemittitur: *Hec Magiſter Hus per manum ſuam ſcripſit ad Pragenſes.* Eſt inter editas P. I. *Opp.* ſaepe *cit.* p. 82. numero XXI. et incipit: *Generoſiſſimi benefactores mei et veritatis*